



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

§. II. De tempore Horarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

Ministro, habens adjunctas preces & merita Ecclesie, est apud Deum impetratoria, quia nititur meritis & sanctitate Ecclesie, ad quam Deus respicit. Ideoque Sacerdoti non legitime impedito, absque gravissimo peccato non licet horas, aut notabilem earum partem intermittere.

§. II,

De tempore Horarum.

**P**ropheta Regius, licet regni totius negotiis distentus, septies tamen in die laudem dixit Domino Psalm. 128. Trium pueri cum Daniele in precibus celebranda observarunt horam tertiam, sextam & nonam: sed Ecclesia (ut docet S. Cyprianus sub finem orat. Domin.) pluribus à Deo beneficiis exornata quam olim Synagoga septem orandi tempora servanda statuit. S. Clemens L. 8. Constitut. Apost. c. 34. ordinat: Preces vestras facite, Diluculo, tertiâ horâ, sextâ, nonâ, vespere, & in gallicantu. Diluculo gratias agentes, quoniam am illuminavit nos Dominus, expulsa nocte & inducto die. Tertiâ: quoniam illâ horâ Dominus sententiam Pilati accepit.

cepit. Sextâ: quoniam tunc Crucifixus est.  
 Nonâ: Quoniam omnia commota sunt  
 Crucifixo Domino: Vespere. Gratias agen-  
 tes, quod dederit nobis diurnorum laborum  
 requiem. In Galli Cantu, quoniam illo  
 tempore nuntiatur adventus diei ad ex-  
 ercenda opera lucis. Antiqui noctu sur-  
 rexerunt, & hodie dum multi viri reti-  
 giosi, ut, (quemadmodum scribit in Regulis  
 fus. disput. S. Basilius) imitentur Dominum  
 nostrum, qui saepe in oratione pernoctavit,  
 & recogitemus eum noctu natum, & per  
 Angelos Pastoribus annuntiatum; Alii  
 singulis Passionis Dominicae mysteriis horas  
 diversas attribuunt.

Hæc sunt septenis propter quæ psallimus  
 horis:

Maturina ligat Christum, qui crimina  
 laxat;

Prima replet sputis: causam dat Tertia  
 mortis:

Sexta Cruci neclit; latus ejus Nona  
 bipertit;

Vespera deponit; tumulto Completa  
 reponit.